












4563

(2)

ΓΝΩΣΤΙΚΗ
SEU
ARS ET PER PROPRIAM INDAGATIONEM ET PER REVELATIONEM ALIQUID DISCENDI,

Autore

HENRICO NOLLIO Medicinæ in Illustri *ARNOLDINO*, quod est Steinfurti, Professore ordinario.



Judicium, non præjudicium audiam.

Steinfurti excudit Theoph. Cæsar,
ANNO M. DC. XVII.

Tempus in propinquo est,

ut vera Theologia floreat, vera Medicina redeat, vera Philosophia è tenebris emergat, & pereat, quicquid Sapientiæ contrarium est.

Illustrissimo,

Illustrissimo, potentissimo, celsissimo & generosissimo Principi ac Domino, Dn. MAURITIO Hassiæ Landgravio, Comiti in Catimeliboco, Decia, Zigenhainia & Nidda, Dn. meo Clementissimo Salutem plurimam & æternam benedictionem in Jesu Christo, vero DEO, precor.

QUOD paucas hasce paginas, Illustrißime Princeps, Dn. Clementißime, illustrißimo tuo nomini inscribam, sunt mihi causæ non frivolæ nec nullius momenti: Amor meus in Patriam, amor in Patriæ meæ dulcißimæ Patrem, & singularis tuæ illustrißimæ celsitudinis in me benevolentia (quam nuper præsens in eo deprehendi, quòd illustriss. tua Celsitudo adminicula ad promotionem Doctoream non contemnenda, mihi ne per somniū illud cogitanti ultrò ex pio liberalitatis affectu obtulerit) eò me movent & quasi trahūt. Nihil aliud ab illustrißima tua Celsitudine contendo, nisi ut hoc qualecunq; opusculum, benevolo animo accipiat, & se Musarum mearum Patronum exhibeat. Quod si videro, & libertatem philosophādi mihi, Celsiss. Princeps, sub tuo patrocinio permitti animadvertero, DEO juvante, cum aliis doctis viris faxo, ut philosophandi ratio sincerior, & medendi via certior, abjectis sophismatis & tricis, ad veræ pietatis studiosos, suo loco & tempore, DEO jubente, redundet. Vale æternùm & felicißimè, illustriss. Princeps, & quo animo in me sis affectus, per responsum expone. Dabam Steinfurti è Museo 16. Jan. Anno 1617.

Tuæ Illustriss. Celsit. addictissimus
HENR. NOLLIUS Medicinæ Professor.

CUM videam paucos inveniri studiosos, qui scopum, ad quem in studiis collimant, citò & feliciter attingere sciant, operæ precium me facturum arbitror, si jam publicè modum, quo studiosi singulas superiores facultates, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam & Philosophiam citò, jucundè & fructuosè magno cum successu percurrere & assequi queant, aperiam. Etsi verò permulti hîc se sint oblaturi, qui sentiant, una methodo propter diversarum istarum facultatum diversitatem, & rerũ, quæ in ipsis proponuntur, varietatem, quatuor istas facultates non comprehendi, nec eandem methodum omnib. & singulis addiscendis inservire posse, tamen mihi planè persuadeo, eos tum aliter judicaturos, quando meam hanc methodum benè lectam, sæpiùs repetitam & pensiculatè ponderatam medullitùs intellexerint. Sub initium multa videntur impossibilia, quæ tamen possibilia esse sub finem non rarò observamus.

Ut ergò exordiar, meæ γνωςικῆς duas faciam partes, quarum prima doceat modum quo aliquid, mediante propria indagatione, disci & cognosci debeat: Altera verò proponat modum, quo ex alterius revelatione aliquid discendum sit,

ΓΝΩΣΤΙΚΗΣ

ΓΝΩΣΤΙΚΗΣ Pars I.

De modo aliquid proprio studio indagandi.

Caput I.

De Contemplatione sensuali.

I. MODUS aliquid per propriam vestigationem & studium indagandi duplex est: vel enim circa res ipsas versatur, vel circa obscura dicta.

Fateor equidem dari etiam alia signa præter dicta, quæ obscuritatem quandam secum vehant, tamen cùm certus modus in ejusmodi signa inquirendi hactenus me lateat, malim in rebus cognitis modum præscribere, ac modum quo obscurorum dictorum sensum expiscari possis, perspicuè exponere: útpote qui mihi in re literaria ex ipsa praxi satis innotuit.

2. Modus, qui circa res ipsas indagandas versatur, quatuor mediis perficitur, Contemplatione sensuali, meditatione, collatione macrocosmi cum microcosmo, & artificiosa corporum sectione.

3. De hisce mediis ordine agã, & primùm de Contemplatione sensuali, quæ primariò videndo, secundariò verò tangendo, gustãdo & olfaciendo perficitur.

Omitto hîc auditum, qui, licèt non ſolus, inſervit revelationi alterius, ac proinde ad alteram γνωςικῆς partem refertur.

4. Ut ergò aliquid benè per ſenſus cognoſcatur, & diſcatur, hæc requiſita ſunt obſervanda.

I.

Oportet organum cujuſlibet ſenſus rectè & ſecundum naturam eſſe diſpoſitum, integrum, vigens & illæſum.

Sic enim febricitantium guſtui dulcia videntur eſſe amara, quia lingua vitiata eſt: Hinc etiam in ſenio error ſenſuum contingit ex inſtrumentorum defectu: Senex enim ſi haberet oculum ſive organum viſoriū juvenis, videret ut juvenis, Ariſt. 1. de anima. c. 4. text. 61. Scal. ex. 76. ſect. 4.

II.

Medium debet eſſe conveniens & naturaliter ſe habens, nec aliena qualitate aut diſpoſitione aut proportione cōmutatum.

Sic de coloribus nemo rectè judicabit in tenebris nocturnis, quia ad viſum medium illuminatum requiritur.

III.

Juſta ſit & moderata inter ſenſile & ſenſorium diſtantia. Alba

Alba enim res alio interdum apparet colore, quando a visu nimis distat: & transparentia media propter nimiam distantiam cœrulea non rarò apparent, cùm tamẽ omni colore destituãtur.

IV.

Requiritur situs & motus conveniens

Unde decipitur visus, si quid objicitur oculis non secundum rectam lineam: & ignis qui à latere est manus, nõ sic eã afficit, ut q ei subjectus est.

V.

Mora requiritur moderata.

Quæcunque enim subitò in sensus incurrunt & quasi in momento prætervolant, nihil admodum eos afficiunt.

VI.

Sensorium debet esse vacuum à natura Sensilis

Intus enim apparens prohibet alienum. Arist. 3 de anima. c. 5. Sic oculus ab omni colore proprio liber esse debet. Si enim in visu, oculus in se actu habeat album vel nigrum, non potest recipe hunc colorem: ita quando sapor aliquis aut odor actu inest sensoriis, est impedimento aliis, & aut difficilem aut nullum sensum facit.

VII.

Animus esto occupatus in percipiendo sensibili.

Aliàs enim oculis etiam apertis nihil cernitur.

VIII.

Quæcunque multis ſenſibus cognoſcũtur, uno ſenſu non æſtimantor.

Multos Deus dedit ſenſus animali, ut quod ab uno ſolo apprehendi nequit, beneficio cæterorũ penſetur, perfectiùs de Herba judicatur, cujus virtus non tantùm ex ſignatura oculis ſubjecta, ſed etiam ex ſapore guſtus objecto, & operationibus in noſtra corpora, mediante tactu, æſtimatr.

IX.

Si ſenſus quodam modo hebeſcunt, internis remediis ad priſtinum vigorem reducũtor, & ſi reduci nequeunt, externis ſubſidiis illis ſubvenitor.

Sic qui acutè non poſſunt viſu aliquid notare, uti ſolent ſpecillis, ut inde id, quod videri debet, ſub majori ſpecie appareat. Quando etiam per nimiam diſtantiam debitè aliquid videri nequit, perſpectivis utimur, ut id quod nimiùm diſtat, in propinquo ſpeciem ſuam ſiſtat, & proximum videatur.

Cap. II.

De Meditatione.

Meditatio non eſt exiguum donum divinitus

intellectui

intellectui hominis concessum: siquidem si in meditando nos exercuerimus, non tantùm vulgaria & ubivis nota perfectè exploramus, sed etiā secreta, & hominibus, qui curis negociisque mūdi immersi sunt, haud pervestigabilia cognoscimus. Est verò meditatio animi intima operatio, qua & ea, quæ audivimus & quæ vidimus, aliisve percepimus sensibus, pensitamus, & inde veritatē quandam secretiorem exquisitè intelligimus. Meditatione unum post aliud non rarò in mentē venit. Si homo animi sui ineffabiles virtutes nosset, non adeò turpi ocio se dederet, sed noctésque diesq; rerum naturas & vires consideraret. Quomodo aliquid meditando addiscere debeamus, hac vice docebo.

Ille ergò qui ad cognitionem rerum sublimium meditando pervenire cogitat, 1.

Piam vitam ducito.

Secus enim si fecerit, animus ipsius ad exquisitam rerum scientiam non exaltabitur: quippe flagitiis suis intentus circa ea occupabitur, ita ut animi operationes inde postponantur. Pietas ad omnia utilis est, dicente Apostolo.

2. Omnia ad honorem *DEI*, & proximi utilitatem dirigito.

Itaque nunquam eo fine aliquid meditabitur, ut suum ostendat ingenium, sed ut meditando

Dei honorem & proximi utilitatem promoveat. Alium finem si sibi proposuerit, in ambitionem incidit, atque exinde impeditur, ne veritatis cognitione fruatur,

Consectarium.

Illud ergò, ex quo ad omnes nationes; p̄sertim verò ad patriam, cui primùm nati sumus, ingens commodum redundare queat, diligenter & ordinatè meditator

Laudabile enim est, ei benè velle, in quo parẽtes tui vixerunt, & multa bona adepti sunt, tuque ipse ad lumen mundi admissus es. Romani pro patria vitam deponere non timuerunt/ Quid igitur ô homo differs patriæ consiliis, virtute, scientia & eruditione prodesse? Ut autem multorum propositum, quod patriæ commodis destinatum est, pium est & ubique promovendum: ita contrà frequentissimè à nasutulis, invidis & impiis hominibus impeditur, atque delatione, accusatione & quorundam minimorum, quos fingũt Momi, nævorum exaggeratione docti & verè sapientes è patria interdum vel expelluntur, vel spontè Deóve vocante ad exteros avolant, quando ad honesta munia intra patriæ limites consulto nõ admittuntur.

3, Liber esto,

Ac proinde nullius hominis mancipium, ne cogitationes suas ad alterius arbitrium cogere & determinare teneatur, atque vires animi sui præjudicio quodam informet. Quod si fiet, non inquiret veritatem rerum, sed cogitationum alterius, & sic à vera semita longè aberrabit. Non fiet alterius qui suus esse potest.

4. Sobriè & temperanter vivito.

Id est, nimio cibo & potu corpus suum nusquã oppleto, sed victu ita fruitor, ut ne meditationis cursus de die in diem imminuatur. Verissimum est, quòd quantò majori cibo & potu te infercias tantò hebetius & obtusius reddas tuum ingeniũ. Id vel manifestò te docet Ebriositas: quæ nunquã permittit, ut rem aliquam intimiùs pensites & rectè judices. Testor hîc praxin omnium benè discentium, ut vel hinc vulgatum proverbium emanaverit: *Plenus venter non studet libenter.* Qui corpus saginat, animum emaciat.

5. Curis & negociis mundi non esto implicitus & intricatus.

Animus enim quò magis est à curis mundi remotus, eò subtiliora, secretiora & veriora invenit. In animo, Dei dono, thesaurus sapientiæ latet. Animus quò liberior est, eò splendidiores & ampliores thesauros promit & revelat. Res quidẽ ipsa in animo non sunt, nec etiam formaliter per

perpetuam

perpetuam inhæsionem earum notiones: Verùm animus id habet virtutis divinitus, ut meditando notiones rerum veras sibi fabricare sciat; cùm omnium inferiorum rerum perfectio in illo sit eminenter.

6. A commercio hominum ad solitarium locum abito, quando meditabitur.

Si enim cum hominibus conversatus fuerit, id non assequetur facilè, quod optat: Conversatio enim ejusmodi meditationis cursum intercipellabit, atque cogitata aliò abripiet. Id quod antiqui sapientes benè noverunt, ac proinde tum temporis, ubi cogitationibus & meditationibus suis vacare voluerunt, ad deserta secesserunt loca. Morienus profundissimus Philosophus in desertam abiit sylvam, ut ea, quæ Deo grata & homini utilia sunt, meditari potuerit. Id propositũ etiam Monachi prioribus seculis habuerunt, qui eo fine in cœnobia se contulerunt, ut divinæ & humanæ sapientiæ ardentiùs operam suam consecrare potuerint: Quamvis hoc tempore plurimi ad Monachatum abeãt, ut potiùs deliciis corpus, quàm animum piis & sapientibus meditationibus pascant. Ita paulatim omnia in abusum trahuntur.

7. Veneris usui etiam licito nimis ne indulgeto,

Sic enim

Sic enim fiet, ut meditationes suas intra cancellos rationis contineat, & diversis objectis distrahi non permittat. Venus ita amanda est, ut naturæ, non voluptati satisfiat.

8. In rebus facilè intelligibilibus sub initium se frequenter exerceto.

Æquum enim est, ut ii, qui aliquid discere cupiunt, à facilioribus rerum discendarum principiis exordiantur. Quemadmodum nemo, qui arboris sexaginta pedes longæ fastigium attingere in animo habet, uno passu id efficiet, sed scalis utetur, à quarum infimo gradu per medios ad supremum paulatim ascendet: ita quoque sub initium nemo rerum intellectu difficilium meditatione ingenium suum acuet. Sufficerit ei, si facilia intellectu primùm in manus sumat, & tandem ad altiora paulatim progrediatur. Doctus nemo nascitur: nec subitò creatur. Sapientia de die in diem augescit; ut recēs arbor è suo semine & nutrimento. Ordo jam præscriptus si invertitur, intellectus in insaniam prolabitur, nec unquam Sapientiam, ejúsque rivulos degustabit.

9. Sese nō in fictis, sed veris reb. oblectato.

Sic enim veritatem citiùs assequetur Improbo illorum studium, qui magis figmentis hominum, quàm rerum compendio delectantur, atque in cogitationibus aliorum, quàm in rebus ipsis acuti videri

ti videri malunt. Otioforum Monachorum, qui barbaris & obscuris terminis rem literariam miserandum in modum defœdarunt, commenta & figmenta in aliorum cogitatis fundata si hodie è scholis exterminarentur, & de DEO, & natura ex DEO & natura docti philosopharentur, viva Philosophia in mundum rediret, & futiles inutilesq; logomachiæ, inanesque disputationes evanescerent. Dum perversorum hominum obscuros, ambiguos & barbaros terminos meditamur, res ipsas, proh dolor, præterimus & negligimus.

10. Una vice uni⁹ rei utilis cōsiderationi incumbito, & si aliquando vel interpellatus, vel defatigatus ab ea recedere cogitur, ad illius unius & certæ rei meditationem redito, idq; eousque cōtinuato, usque dū meditando illud, quod sibi proposuit, assecutus est.

Qui ergò animum hinc atque illinc, huc atq; illuc vagari permittunt, nunquam aliquid certi inveniunt, sed ut inconstantes sunt, ita inconstātes & dubios colligūt scientiæ fructus. Satius est, ut unum aliquid, quo multis cōstanter prodesse possis, addiscas, quàm multa, quæ nec multis nec tibi ipsi proderunt.

11. Effectus & accidentia ad eandem certarum rerum dispositionem sæpissimè & & necessariò sequentia studiosè observato.

ad morborum cognitionem, ...orum præscientiam, & Logici ad ... ...n propositionum inventionem perv...nerunt.

Cap. III.

De Collatione microcosmi cum macrocosmo.

CUM mundus sit propter hominem conditus, omnia, quæ sunt in mundo, ad hominem ordinantur, ac proinde hominis cognitio rectè ex rebus mundi petitur. Dictus homo est microcosmus, quia omnium rerum, quæ in majori hoc mundo sunt, in uno homine veluti in centro delitescunt. Quod corpori negatum videbitur, id hominis animo divinitus datum est, ita ut quicquid naturæ cursu fieri observaveris, illud ab animo tuo p̄stari posse nullum sit dubiũ. Quod.n. potest virtus inferior, idẽ potest su pior, sed multò excellentiùs, & efficaciùs. Hic tamen excipe ea, quę fiunt ab inferioribus causis, & earum imperfectionem arguunt. Hæc enim superiori virtuti minime tribuenda sunt. Quicquid in macrocosmo diffusum apparet, illud in microcosmo coarctatũ & in unum centrũ coactũ est, ut ex illo, quod ubiq; diffusum est, cognoscat id, ꝙ in unã naturã cõportatũ est, Implicitum ex explicito benè

tò benè & rectè cognoscitur. Tu ergo [illegible]
hominis cognitionem adspiras, vide ut [illegible]
mundi in elementis & elementatis perfectè ex-
plores, nihil erit in homine, quod te celari pote-
rit: Intuere & meditare 1. superiorum in hæc in-
feriora influentias 2 mutationes & conservatio-
nes rerum. 3 ex universi spiritu quodque vitam
trahere 4 nutriens & nutritum in eodem spiritu
convenire. & 5. unum cum altero gerere in se si-
gnaturam convenientiæ; Quæ enim proximè &
ordinatione divina inter se conspirant signis se
patefaciunt. Quæcunque ergò hominis, genera-
tioni & conservationi naturâ destinata sunt, ex
suis propriis signis dignoscuntur & dijudicãtur.
Unde à me hæc generalia de Signatura theorema-
ta nuper in compendio Physicæ proposita fuere.

1. Quodcunq; corpus alii corpori in macrocosmo vim diu existendi impertit, illud & microcosmi diutinæ cõservationi inservit.

2. Quodcunque se per insitum balsamũ ab omni elementorum corruptione in macrocosmo tuetur, idem & microcosmum ab omnibus morbis præservabit, & per eundem balsamum liberabit.

3. Quicquid è corpore aliquo alienam naturam

turam extrudit, idem quoq; è microcoſmô naturam alienam expellit.

4. Quæcunque planta habet ſignaturam partium hominis, illa confortationi earundem inſervit, ac proinde morbos, quibus eæ partes conflictantur, fortiter pellit.

5. Plantæ, quæ vel repræſentant ipſa animalia. vel animalium partes, valent ad propellendos morbos, qui ab iiſdem animalibus ſuboriri poſſunt.

6. Animalium partes, quarum balſamus eſt valdè fortis ad functionem debitam expediendam, vigorem inferunt ſimilibus hominum partibus, ut efficaciùs præſtant id, ad quod deſtinatæ ſunt.

7. Omnis beſtia, quę venenum tantùm in aliqua ſui corporis parte habet, in ſe cõtinet balſamum, quo tutò cõtra venena uti licet.

8. Quodcunque animal citra noxam ex venenatis corporibus alimentum quærit, in ſe habet balſamicam naturam, quæ contra venena potens eſt.

CAP. IV.

De artificiosa corporum Sectione.

COrpora quæ ex multis conflata sunt partibus, non possunt semper meditatione exactè explorari; excogitata ergò sunt ab hominibus certa artificia, quibus ad interiorem & sublimiorem eorum corporum notitiam perveniatur. Eaque sunt immediatè directa in hominis corpus: ut est anatomia localis seu mortua, cujus beneficio corporis humani non tantùm exteriores sed etiã interiores partes quoad figuram, situm, coordinationem & magnitudinem exactè cognoscuntur: vel etiam in alia corpora vires suas exercent: ubi præcipuè locum habet Chymia vera, sana & verè Philosophica. Sophistica enim Alchymia nihil commercii habet cum veritatis disquisitione; Ea enim inconvenienter destruit corpora, ut alienarum dispositionum vires potiùs inde prodeant, quàm ut propriarum virtutes inde innotescant. Ut verò scias, quid sit vera & sana Chymia, officium ejus genuinum benè intelligito, quod est; *Igne convenienti id quod occultum est, manifestare.* Ignis conveniens est, qui & naturæ corporis, è quo occultum eruendum & in lucem sistendum est, & naturæ alterius corporis, in cujus usum extrahitur, amicus est. Si igitur in usum hominis a-

liquid

liquid è corpore quodam macrocoſmico extra-
hitur, illud non deſtruente, ſed miti & leni igne
prolicitor. Hîc forſan ais, ſic multa mineralia nō
poſſe hominis corpori ſemper adhiberi, quia ve-
hementi igne ipſorum virus aliquando abigendū
eſt, vel durities ipſorum tenui igni emolliri ne-
quit: verùm ſcias, veris & ſincerioribus Philoſo-
phis non deeſſe media, quibus vel maxumum ve-
nenum ſine vehementi igni in veram & ſalutarē
theriacam permutare, atque duriſſimorum cor-
porum vincula diſſolvere queant. Orandum &
laborandum tibi eſt, ut tam præſtantia media ti-
bi conquiras. Facilè optatum finem cōſequéris,
ſi naturam rectè intellexeris, atq; ſapientum di-
cta ex natura, non hanc ex illis dijudicaveris. Sū-
mum artificium in Chymia erit purum ab impu-
ro ſeparare, & naturas, quæ in eſſentia proximè
conſpirant, convenienter coordinare, ut unà al-
terius vires proliciat & in apriçum pducat. Plura
de Chymia proferre non eſt hujus loci; in meam
Philoſophicam Alchymiam, quam præ manibus
ξὺν Θεῷ habeo, perfectiorē declarationē rejicio.

CAP. V.

De modo obſcurorū dictorū ſenſum veſtigandi.

HUcuſq; modum, quo res ipſas per propriū expiſcamus
ſtudium, brevibus expoſui verbis: Modus qui circa ob-
ſcurorum dictorum ſenſus indagationem verſatur, ſubſe-
quitur, & nititur hiſce propoſitionibus.

1. Scopũ dicentis vel ſcribentis intuetor.

Eſt enim, ut habet juriſconſultorum regula, quam Celſus in l. Labeo. ff. de ſupell. leg. profert, prior & potentior mens, quam vox dicentis.

2. Clariora dicta ex eodem autore obſervato & conferto.

Obſcura enim per clariora rectè explicantur & intelliguntur. Clariora ſunt ea, quæ agunt de eadem re & dilucidioribus terminis eandem exprimunt. Sic in Philoſophorum libris cùm doctrina unius aperiat doctrinã alterius, teſte Lull. c. 3. Theor. teſt. rectè per clarius dictum exponitur & notificatur dictum minùs clarum & minùs notum.

3. Dicta oppoſitam ſententiam proponẽtia penſitato.

Contraria enim juxta ſe poſita magis magísq; illuceſcunt.

4. Phraſin linguarum notato.

Sunt enim quibuſdam linguis propriæ phraſes, quæ ſi notantur, omnem obſcuritatem dictorum facilè tollunt. Notabunt hoc Scripturæ Sacræ ſtudioſi, & fontes ejus, Hebraicam & Græcã linguam diligenter diſcent, ut habeant, quo ſe adverſus depravatores benè tueantur. Cõfer infrà part. 2. cap. 3. theorema octavum.

5. Antecedentia

5. Antecedentia & consequentia, eorúmque nexum cum dictis interpretandis probè considerato

Rectè August. super cap. 25. Matthæi: ex antecedentibus & consequentibus colligitur verus Scripturæ sensus. Et Celsus J. C. præclarè inquit: Incivile est, tota lege non perspecta, & una tantùm ejus parte proposita, de toto legis sensu judicare velle.

ΓΝΩΣΤΚΗΣ pars Altera
DE
Modo cognoscendi & discendi per Revelationem.

CUM cognitio rerum per propriam indagationem sit imperfecta, rectè superadditur alius modus, quo aliquid ex Revelatione aliis innotescere possit: ut vel hinc ea, quæ propria indagatione expiscari & scrutari nobis non licuit, inveniamus, intelligamus & cognoscamus. Ante omnia verò hîc sciendum est, quòd tria sint media præcipua, quibus res ab aliis revelentur, Vox viva, Scriptura & Simulacra, ac proinde modus per revelationem discendi sit triplex: Primus quo ex alicujus viva voce aliquid discitur: Secũdus, quo

ex Scriptura aliquid cognoſcitur, & Tertius, quo ex ſimulacris veritas alicujus rei percipitur. Tres hoſce modos ſequentibus in capitib. explicabo.

CAP. I.

De modo diſcendi aliquid ex DEI *loquentis voce.*

TRes ſunt ſubſtantiæ, quæ viva voce aliquid revelare ſolent, DEUS, Spiritus & Homo. Triplex ergò inde modus diſcendi ex loquentis viva inſtitutione rectè ſtatueretur. Sed cùm modus ille, quo ex ſpiritus alicujus viva informatione ſalva conſcientia aliquid addiſci queat, rectè cum modo, quo ex DEO aliquid diſcitur, conjungatur, quia DEI ſolius eſt mittere angelum, qui nos informet; duobus modis contentus ero. Et proinde primùm docebo, quomodo quis DEUM movere debeat, ut viva voce de veritate alicujus rei ab ipſo aut immediatè vel per verum ejus angelum erudiatur, & informetur.

Non neſcio, hodiè permultos eſſe in ea opinione, DEUM piis viva voce nihil ampliùs revelare, cùm ea, quæ ſalutem concernunt, ſufficienter Sacris comprehenſa ſint literis: non tamen concedo, exinde rectè colligi, DEUM ſuos ampliùs de aliis rebus ſecretioribus, & futuris non erudire: imò hoc ajo, ſenſum dictorum ſacrorum ſæpè latentem à DEO piis demonſtrari, eóſque mirabi-

liter in naturæ secretis mirabilib. informari. Qui DEO arctissimè per fidem adhæreſcit, ille DEUM loquentem & de variis ſecretis instruentem in animo ſuo audit. Id quod paulò pòst ex Sacris literis ſatis innoteſcet, quãdo in indubitatis theorematis & præceptis ſum propoſiturus, quomodo homo ſe gerere debeat, ſi DEUM viva voce loquẽtem & mirabilia ſecreta mundum fugientia docentem ſecretò in animi ſui intimis receſſib. audire velit. Ne arbitrare, me Enthuſiaſtis favere, qui phantaſmata vel à Diabolo inſpirata, vel ex depravato Scripturæ ſenſu enata alunt, atq; inde ſibi dulcia ſomnia fingunt/ Docebo igitur, quomodo homo verè pius particeps reddi poſſit divini auditus, ut DEUM verum (non carnem, nec Diabolum) in ſe loquentem & magnalia naturæ, & ſupernaturalia ſecreta patefacientem audiat. Docebo etiam, quomodo verus DEI filius & diſcipulus ab iis, qui tantùm videri volũt & nõ ſunt DEI diſcipuli, rectè diſcernantur. Ex DEO primariò diſcendũ eſſe quis inficiari auſit, cùm omniũ rerum veritas ab intellectu ejus divino pendeat atque menſuretur, nihilque certius ſciri poſſit, niſi quod ex ipſius informatione revelatũ & manifeſtatur? Ut DEUS omnibus rebus eſſe & perfectionem dedit: ita quoque ille ſolus ex ſe exquiſitiſsimè omnium rerum eſſe & vires novit, atque manifeſtare poteſt.

Qui DEUM in se loquentem, & secreta revelantem audire desiderat. Ante omnia videto, ut DEI amicus fiat.

Amicus DEI est verè sapiens; quippe ex eo, qui est sapientissimus, & omnia novit, omnia discit. Quare diligit DEUS neminem, nisi cum quo sapientia habitat; Sap. 7. v. 28. Sapientia enim Prophetas & amicos DEI constituit: ibid. v. 27. Amici sese invicem nihil celant. Qui favet minori ex animo, pro favoris sui ratione omnia bona in ipsum cõfert. Si ergò quis fuerit DEI amicus, DEUM faventem habebit. Cui autem DEUS favet, ei benedicit, & sapientiam adspirat, atque omne, quod in suam ipsius & proximi utilitatem petit, clementer largitur.

Qui ad amicitiam *DEI* admitti cupit, legito *1.* diligenter Sacras literas, atque ex earũ præscripto vivito.

Est enim majus & præstantius inter literaria beneficium homini divinitus non datum, ipsis Sacris literis: Siquidem in iis nobis exactissima norma vivendi, cum DEO colloquendi, atque ab eo aliquid impetrandi proponitur. Et qui extra Sacrarum literarum studium, & contra earum sensum revelationem aliquam divinam sibi fingunt, decipiunt & decipiuntur, nec Spiritu veritatis agitantur.

gitantur. Non ergò tutò revelationibus iis credendũ est, q̃ alii spiritui, quàm divino, qui ex Sacræ Scripturę assidua lectione, repetitione & meditatione ad Prophetas DEI redundat, debentur & tribuuntur. Si unus ille Spiritus, qui Sacras literas sanctis inspiravit Patribus, jam jam in hunc usque diem secreta naturæ & DEI non manifestaverit, in errorem & labyrinthum incidũt quicunque alii spiritui credunt. Benè ergò faciunt q̃ una Biblia vitæ suæ regulam, suorum studiorum summam, mundi universi compendium faciunt. Qui hoc fecerint, sibi latum aditum ad DEI amicitiam parant.

2. Interim ardenter, & sine intermissione in vera fide *DEUM* invocato, ut Spiritum Sapientiæ largiatur.

Nemo enim novit quæ sunt DEI, nisi Spiritus DEI. 1. Corinth. 2. v. 11. Dominus ergò quia dat sapientiam, Proverb. 2. v. 6. invocandus est: æquum enim est ut apud illum sapientiam, apud quẽ est ab æterno, quæramus. Et qui nobis esse & vitam dedit, dare quoque potest summa nostræ vitæ ornamenta. Dabit ergò & sapientiæ Spiritum, si sincero ex corde petiverimus & oraverimus. Salomon regum sapientissimus, dilexit Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, Reg. 3. c.

3. v. 3. ac pòst ei Dominus per somnium noctè apparuit dicens, Postula quod vis ut dem tibi: v. 5. Tum Salomon sapientiam v. 9. petiit, non divitias, non animas inimicorũ v. 11. ac proinde DEUS Salomoni cor sapiens & intelligens dedit, ita ut ante se sui similem non habuerit, nec post se habiturus sit, v. 12. Quæ Salomonis sapientia & in politico foro (ubi duarum meretricum dissidia de vivo unius ex iis filio v. 24. & seqq. prudenter cōposuit) & in naturæ foro (ubi c. 4 Reg. 3. v. 33. de lignis à cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ de pariete egreditur, item de jumentis & voluctibus, & reptilibus & piscibus disseruit) se exeruit. Prophetæ Danieli ubi injungebatur, Daniel. 2. ut Nabuchodonosori somnium q̃ ille oblitus erat, ejúsque interpretationem recēseret, rectè agnoscens sine DEI revelatione impossibile esse ut somnium, ejusque interpretatio regi enarretur, v. 17. ingressus est domum suam & sociis suis indicavit negocium, ut quærerent misericordiam à facie DEI cœli super arcano isto, v. 15. Quo facto, Danieli per visionem noctè v. 19. revelatum est à DEO mysterium. Mercurius Trismegistus cùm de rerum natura cogitaret, ac mentis aciem ad superna erigeret, sopitis jã corporis

poris ſenſibus, quemadmodum accidere ſolet iis, qui ob ſaturitatem vel defatigationem, ſomno gravati ſunt; ſubitò ſibi viſus eſt cernere quendã, immenſa magnitudine corporis, qui ipſum nomine vocãs, in hunc modum clamaret: Quid eſt, ô Mercuri, quod & audire & intueri deſideras? Quid eſt, quod diſcere atque intelligere cupis! Tum ille: Quis nam es? Sum, inquit ille, Pimander, Mens divinæ potentiæ, ac tu vide quid velis: ipſe verò tibi ubique adero. *Cupio*, inquit Mercurius, *rerum naturam diſcere, Deúmq; cognoſcere*. Ad hæc ille: *Tua me mente complectere, & ego te in cunctis, quæ optaveris, erudiam.* Cùm hæc dixiſſet, mutavit formam, & univerſa ſubitò revelavit. Sciendum verò hîc eſt, quòd ſine intermiſsione orare & nõ defatigari oporteat, Luc. 18. v. 1. in fide, remota omni hæſitatione: quia quæcunque in precatione petierimus credentes, accipiemus. Si cui ergò, ait Jacob. cap. 1. v. 5. & 8. deeſt ſapientia, à DEO dante, omnibus ſimpliciter, nec exprobrante poſtulet, ac dabitur ei; poſtulet verò cum fiducia, nihil hæſitans: Nam qui hæſitat, fluctui maris, qui ventis agitur & impetu rapitur, ſimilis eſt: neque exiſtimet homo, ſe quicquam accepturum à DOMINO.

8. Si Spiritum ſapientiæ à *DEO* reportaverit, atque deinceps ſecretorum naturæ, & futurorum revelationem à *DEO* in ſpiritū & fide petiverit, divinitus exaudietur, & *DEUS* ſua voce vel dormienti, vel vigilanti in animi intimum ſinū omnia deponet & pādet.

Spiritus enim ille, prout D. Paulus ait Rom. 8. v. 26. adjuvat infirmitatem noſtram: nam cùm quid orare oporteat neſciamus, ipſe ſpiritus pro nobis inenarrabilibus gemitib. intercedit: & ſic, ajo ego, ille qui in ſpiritu & veritate orat, exauditur. Duo ſunt media, quibus Deus ſe, atque ſecreta ſua revelat, *Viſio & Vox*. Utrumque medium apertè deſcribitur Num. 12. v. 6. & 7. ubi ſic DEus ad Aaronem & Mirjam dixit: Audite ſermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in *Viſione* apparebo ei, vel per ſomnium *loquar* ad illum. At non talis eſt Servus meus Moſes, qui in omni mea domo fideliſſimus eſt: ore enim ad os *loquor* ei, palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. De revelatione quæ eſt ex viſione, poſt revelationem, quæ fit per Scripturā, monebo. Jam de revelatione q̄ fit voce Dei, notandum eſt, quòd & vigilantibus & dormientibus ejuſmodi revelatio contingat. Vigilantibus contingere patet exemplo Protoplaſtorum Geneſ.

2.v.16. Mosis Exod.3. & plurimis aliis locis, Noæ Gen 6.v.13.& c.7 v.1. Abrahami, Gen.18. v.10.18. & 19. Lothi Gen. 9 v.13. Isaaci Gen.26. v.24. Gedeonis Jud.6.v.23. Samuëlis, 1. Reg.3. v.11. & seqq. c. 8. v.7. & 22. Zachariæ, Luc.1.13. sanctæ Mariæ, Luc 1 v. 28. & seqq. Joannis Christum baptizantis Matth.3.v.17. Petri, Jacobi & Joannis Matth. 17.v.6. *Dormientes voce DEI sapissimè institui, ejúsque alloquio iis multa revelari exempla testatur* Jacobi Gē. 28. v.13. 14. & 15. itidem Gen.31. v.11 12. & 13. Labanis Gen.31 v.24. Salomonis Reg. 3 c.3. Magorum Matth. 2. v.12. Joannis ubique in Apocalypsi. Ubi quoque notare est, DEUM non rarò ad revelandum uti voce angelorum justorum. Sic ab angelo Domini Joseph Matth.1.v 20.2.v.13 & 19. Hagar Saræ ancilla Gen.16.v.8.& 21. v.17. & seqq. Discipuli Christi Actor.1.v.10.5. v.20. Philipp. Act. 8. v.26. Cornelius Act.10. v.4. & seqq. Pet. Act.12.v. 7. Paulus Act.27. v.24. & Divus Joannes ubiq; in Apocalypsi sua informantur, ut ita videamus, angelos esse administratorios spiritus, qui in ministerium emittantur propter eos, qui erunt hæredes salutis. Heb.1.v.14. Beatus est, cui Deus angelos suos confabulantes mittit.

Priusquam hinc abeam, duæ difficultates brevibus expediendæ mihi sunt. 1. Inveniuntur, qui arbitrantur, hodiè singulares revelationes per

Deum

DEUM & angelos ejus nō cōtingere, & nec posse ex Sacris literis aliquid tale evinci: verùm Deum vel immediatè vel p angelos suos piis viris in N. Testamento non loqui velle, nusquam in S. literis legitur; & exempla suprà è N. Testamento addita aliud nobis persuadēt: atque Prophetia Joëlis, quæ ejus 2 capite v. 28. extat, ad N. Testamentum à d. Petro Act. 2. v. 17. accommodata firmissimo nobis argumento est, DEUM in N. Testamento apertiùs & dilucidiùs voce sua, voce angelorum & visionibus suos verè credentes instructurum. Qui aliter sentiunt, videant, ne Spiritui Dei, qui ubique & omnibus temporibus omnia & eadem potest, insitas & proprias virtutes negando derogent, atq; tandem suæ negationis pœnā luant.

2. Quęrat hic ex me aliquis, quomodo quis certus esse possit de revelatione Dei, quæ jam viva fit voce Dei, atque angelorum ejus: cùm Diabolus se in formam lucis sæpè transfiguret, 2. Corinth. 11. v. 14. Ubi sciatur, 1. Prophetam, cui aliquid Deus revelat omnibus hominibus credendum, verè pium esse debere. 2. Ei Deum non loqui, qui aliud verbum, quod scriptum Dei verbum evertat & tollat, pponit. Hinc D. Paulus rectè monere volens Galatas 1. cap. ne credant iis, qui aliud quàm quod prædicatum est, Euangelium doceant, ait,

quòd is,

quòd is, qui aliud Euangelium prædicaverit Galatis, præter id, quod acceperint, anathema sit. Sic ait Deus per Mosen Deut. cap. 13. v. 1. 2. 3. surrexerit in medio tuo Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: Non audias verba Prophetæ illius aut Somniatoris. 3. Ei ex ore Dei nullam revelationem dari, ad cujus verbum non evenit illud, quod futurum prædicit: id quod ex hisce Mosis verbis dilucidè apparet, ubi Deut. 18. v. 21. & 22. sic ait: Quòd si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixit, & non evenit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & non timebis eum.

Cap. II.

De modo discendi ex viva hominis institutione.

MOdum discendi ex ore Dei, & angelorum ejus ea qua potuimus & debuimus, perspicuitate &

ltate & brevitate exposuimus; necessarium igitur erit, ut ad modum discendi aliquid ex viva hominis institutione progrediamur. Etsi fortassis hic modus tibi supervacaneus videatur, cùm quis facilè & suo Marte ex alio homine aliquid discere possit, si modò præceptor fideliter illud docuerit: tamen quia multi defectus in discente demonstrari possunt, qui impediant, ne ex præceptore benè docente discipulus aliquid proficiat, operæ precium me facturũ arbitratus fui, si ex ore præceptoris discendi modum certis includerem formulis.

Itaq; qui vult ex ore docentis benè in Sapientia proficere,

1. Curato (*vel curanto alii, quorum interest, si ipse sibi prospicere non potest*) ut habeat præceptorem ejus rei peritum, quã scire desiderat.

Ex illo enim, qui rem aliquam ignorat, nemo eandem discere potest: necesse quippe est, ut ille, qui alium docet, priùs sciat id, quod docet. Peccant ergò ii parentes non parum, qui ut ob avaritiam suam sumptibus majoribus parcant, suos liberos pręceptoribus non satis earum rerũ, quarũ scientia liberos imbui optaverint, peritis cõmittunt. Corporis & mundi delicias magis fovent, quàm animi virtutes: & sic non rarò ignominiã in posteris ante obitum vident.

2. Præceptorem diligito.

Amor enim discipuli, qui in præceptorē fertur, est quasi causa attentionis, quæ plurimū momenti confert ad illud intelligendum, quod à perceptore profertur. Illius, quem homines odio habent, opera qualiacunq; sæpissimè exosa sunt.

3. Præceptori fideli credito discipulus sine ulla inquisitione, usque dum benè, quod dictum est, intellexerit.

Studiosi plerunque hoc tempore id moris habent, ut quamprimùm aliquid à præceptore recenseatur, illud judicio suo examinent, atque de veritate ejus statuant, priusquam benè intellexerint. Verùm quomodo illud judicabitur, ꝙ non intelligitur? Quomodo judicabunt, qui ex longo usu benè judicare nondum didicerunt? Pythagoras non sine caussa suis discipulis silentium per quinquennium imposuit, ne citiùs quàm didicissent, rem examini subjicerent, atque sinistrè de ea judicarent. Suo Marte si quis aliquid discere cupit, alterius institutionem expectare non tenetur: Qui verò alterius institutione ad eruditionē pervenire vel cogitur vel desiderat, illius est, ut præceptoris informationem benè percipiat, atq; ex ea se erudiri patiatur, ac proinde judicium suum in illud temporis protrahat, quo se mentem dicentis benè intelligere persentiscat.

4. Attentus esto.

Ac proinde cogitationes suas ad alia abripi, dũ præceptori suo adest, non permittito: Dum enim alia cogitat, sensum eorum, quæ à præceptore efferuntur, non apprehendet. Si mentem dictorum non percipiet, nihil ex viva institutione proficiet. Quid igitur prodest audivisse eum, ex quo nihil progressus feceris? In scholis studiosa juventus, quæ magis mundanis rebus & inanibus affectibus sæpè indulget, quàm rei literariæ, corpus quidem præceptori offert, animum verò alibi relinquit, vel aliò mittit. In templa multi abeunt, non ut ex Ecclesiaste proficiant, sed judicent illud, quod dicit. Multi dormiunt, multi confabulantur, multi ludicra tractant, multi divitias suas meditantur, atque ideò ita cogitationes suas disponunt, ut abeuntes ex templis nesciant, quid propositum & dictum fuerit. Hæc & similia facere discipulum decet nullum. Eum decet esse attentum, ut memoria & intellectu id, quod docetur, complectatur.

5. Cum agnitione suæ ipsius ignorantiæ audito præceptorem.

Qui enim se doctum esse sibi imaginabitur, ꝑ suę eruditionis nimia persuasione facilè contemnet alia, quæ proferuntur. Multi ad eruditionem pervenissent, nisi putassent se pervenisse. Discipulus

pulus ergò etsi aliquid de proposita materia intelligere sibi videatur, semper tamen arbitrator, sibi aliquid discendum superesse. Si audiverit cognita, ea faciliùs memoria sua comprehendet: Sin verò incognita audiverit, & ex auditione ea cognoverit, suum animum scientia ampliori informabit & exornabit. Humilitas est magna via ad sapientiam. Unde Proverb. 11. v. 2. *Sapientia in humilibus esse* dicitur.

6. Omnibus horis, quæ ad unius rei materiam explicandam conjunguntur, ad præceptorem accedito, qui illam rem ex præceptore addiscere in animum inducit suum.

Ac proinde nullam horam negligito, quæ illius unius rei explicationi destinata est. Peccant ergò ii contra veras discendi leges, qui jam partem ejus materiæ ex præceptore audiverũt, & pòst vel perversa quadam eruditionis imaginatione, vel præceptoris contemptu, vel negociis aliis minùs utilibus permoti, vel quòd se ex suorum discipulorum monumentis describere posse putent, è scholis emanent. Quicunque illi fuerint, nunquã benè de iis, quæ audiverunt, judicabunt, sed sibi corruptum judicium de aliorum dictis ingenerabunt, atque solida scientia propositæ materiæ, cujus partem tantùm ex ore docentis perceperant destituentur. Præterea & ii nihil pro-

ficiunt ex alterius viva institutione, qui alternis horis docentes audiunt: præceptor enim tenetur in sibi proposita materia singulis horis pergere, ac proinde facilè contingit, ut eâ horâ, quam discipulus negligit, aliquid, quod pòst non repetatur, dicatur, ac proinde ii discipuli perfectam ejus scientiam non adipiscantur.

7. Præceptores diversissima studia tractãtes simul uno die, licèt diversis horis, non audito.

Ut videlicet omnes suas cogitationes ad certæ alicujus artis cognitionem dirigat, ne ab uno prę-ceptore id, quod ex altero discitur, considerationi debitæ subtrahatur.

8. Apud se vel cum aliis id, quod uno orationis flumine ex præceptore audivit, repetito & meditator.

Repetitione enim & meditatione sensus dictorum intellectui firmiter imprimitur & infigitur: sapientiaque hominis accrescit. Longè ergò errant ii discipuli, qui domum è schola reversi non cogitant, quæ ex præceptore suo audiverint, sed potiùs illicitis lusibus, juvenilibúsque affectibus indulgentes asinina stupiditate se deformãt, & malitiam cum imperitia imbibunt.

9. De eo, quod non intellexerit, pręceptorem consulito.

Nimirum postquam præceptor in schola suo docendi munere perfunctus est. Quando enim discipulus præceptorem interrogat, præceptor tenetur ei id, quod anteà proposuit, clariùs proponere & explicare. Quod si fit, discipuli ingenium acuitur & ad profundiorem rei meditationẽ præparatur: Pudor ergò eorum planè cõdemnãdus est, qui præceptorem eo fine interrogare erubescunt, ne ipsorum ignorantia & imperitia patescant. Subjicio hoc distichon aliunde acceptũ, omnibus discipulis benè pensitandum:

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere!
Hæc tria discipulum faciunt superare magistrum.

10. De intellectis cum alio eo fine tantùm confert, ut argumentis, quibus sententiam suam mutandam esse apertè convincatur, locum concedat, vel ut in eorum, quæ intelligit & communicat, veritate magis magísque confirmetur.

Error hinc eorum apparet, qui eum ob finem disputant, ut alios eruditione superare vel ne superari videantur. Hoc ambitionis vitio qui laborant, veritatem nec ritè defendunt, nec eam in lucem ab aliis prostitui patiuntur, ne vel inde supervacanea sectarum institutio sequatur.

Cap. III.

De modo discendi aliquid ex Scriptura divina.

POstquam ex alterius viva institutione discendi modus in duobus capitibus explicatus est, ad modum discendi ex Scriptura rectà pergimus. Sed cùm scriptura sit duplex, divina & humana, priùs de modo discendi aliquid ex scriptura divina disseremus: Divinum enim humano lõgè præstantius est, & dignum, quod ante omnia alia cognoscatur.

Qui ergò ex divina Scriptura aliquid discere sibi proponit,

1. Cognitionem eorum, quæ veram pietatem & viam æternæ salutis docent, seriò appetito.

Beati, ait Christus Matth. 5. v. 6. *sunt, qui esuriunt & sitiunt justitiam; nam satiabuntur.*

2. Videto, ut verè sacram & verè divinam Scripturam habeat.

Si enim verè divinam scripturam non habuerit, ex illa nihil solidi addiscet. Jã verò extra dubitationis aleam positum est, libros V. & N. Testamenti, è quib. suprà testimonia citavimus, esse verè divinos & verè sanctos, & appellari biblia Sacra, útpote quorum sanctitatem & veritatem eventus satis probare potest; statuimus ergò eum

qui ex

qui ex divina Scriptura aliquid addiscere in votis habet, ad dictos libros utriusque Testamenti cõfugere, atque se ex iis erudiri pati debere.

5. Sacram Scripturam legito, vel lectam audito attentè & purè.

Eo fine, ut ex ea pietatem in DEUM & in proximum suum addiscat, atque in ea vitæ suæ regulã observet, & post hanc vitam ex scripturæ istius autore DEO æternam beatitudinem sibi reportet: omnis enim scriptura divinitus inspirata & utilis est ad doctrinam, ad redargutioné, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut integer sit DEI homo, ad omne opus bonum paratus. 2. Tim, 3. v. 16. Quare Christus Joã. 5. v. 39. sic Judæos alloquitur: *Scrutamini scripturas, quia vobis videmini in ipsis æternam habere vitam.* Duo verò in dato meo secundo præcepto tibi observanda sunt, 1. *attentè* esse sacram scripturam legendam. 2. *purè*. Attentè legitur, & lecta auditur sacra scriptura, quando is qui legit, vel lectam audit, omnes cogitationum suarum nervos unicæ sacræ scripturæ infigit, atque aliorum quæ extra scripturam sunt, meditationem & considerationem excutit. Quód si eo fine scriptura legitur & auditur attentè, ut inde veram dilectionem DEI & proximi discamus, atque viam salutis

æternæ perfectè cognoſcamus. DEUS nobis cor aperit, ut pòſt majori cum attentione verbū Dei audiamus, & ex eo ad vitam ęternam inſtruamur. Lydia purpurarum venditrix colens DEUM audivit verbum à Paulo prædicatum, & Dominus ejus cor aperuit, ut intenderet his, quæ à Paulo dicebantur: Act. 16 v. 14 Præfectus Candaces reginæ Æthiopum legit Eſaiam Prophetam Act. 8 v. 28. & divinitus Philippus mittitur v. 26. ut ejus Prophetæ verba, quæ tum legebat, interpretetur.

Purè verò legitur, & lecta auditur ſ. Scriptura, quando citra præjudicium ſine aliorum hominū commentariis excipitur. DEUS ſufficiēs eſt ut ſua ipſius voce homines ad pietatem convertat: non opus eſt, ut homo ſuis verbis, DEUM juvet. S. Scriptura omni inſtructioni ſufficit. Illud verbū, quod in V. & N. Teſtamento ſcriptum eſt, innumeros homines ad veram fidem & cultum DEI verum permovit & traxit prioribus ſeculis. Hæc vis & efficacia hodiè eidem verbo adempta non eſt. Meliorem formulā loquendi de pietate nullus hominum unquam dictabit. Quid ergò opus eſt, ut inſtar oratoris tua ornamenta extra Scrituram allata puro verbo DEI adſpergas, & univerſo hominum generi proponas? Ais tuum eſſe movere homines ad auſcultandum & audiendū verbum DEI. Sed tibi ſi hoc perſuaſeris, falsò tibi

perſuades,

persuades, Non tuum, sed DEI est homines ad audiendum permovere: Eam ob causam DEI verbum scriptum est, ut hoc lectum attentionẽ excitet. Te non interprete opus est, sed te lectore, & prædicatore. Scriptura purè lecta & purè audita hanc vim obtinet, ut una vice hominem devotiorem, & ad pietatis studium ardentiorem reddat, quàm si centies omnes Ciceronis oratorias elegantias verbo DEI adjiceres: Spiritus enim ille, qui Prophetis & Apostolis scriptum DEI verbũ inspiravit, in cordibus attentorum auditorum omnia per ipsum scriptum verbum opatur. Observari hîc velim auream d. Petri epist. suæ 2. c. 1. v. 20 & 21, instructionem, ubi sic infit: Habemus *firmiorem Propheticum* sermonem, cui (non verbis ex tuo cerebro & ore natis) benefacitis attendentes, quasi *lucernæ* lucenti in loco caliginoso: donec dies illucescat, & lucifer in cordibus vestris oriatur: Hoc *primùm* intelligentes, quòd *omnis* Prophetia Scripturæ *propria* interpretatione non fit: Non *enim voluntate humana* allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti DEI homines. Unde Nehemiæ 8. Esdras citra omnem propriæ eloquentiæ additionem Scripturæ verbis populo Judaico legem DEI legebat, & populus ad pœnitentiam permovebatur: cap. 9. Ais hîc obscurum esse in quibusdam locis DEI scriptum

verbum, ac proinde tua dilucidatione opus esse. Verùm spiritus ille qui loquitur in Scriptura, tantarum virium est, ut dum loquitur in Scriptura, in corde humili & attento simul omnem obscuritatem citra tuam additionem amoveat. Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitæ meæ: ait David Psalm. 119. v. 105. Sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus ac potentiæ, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. 1. Corinth. 2. v. 4 Nos loquimur non sermonibus, quos humana sapientia docet, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes; ibid. v. 13. Nemo vos, ait idem Paulus Coloss. c. 2. v. 4 decipiat in persuasibili sermone. Regerunt ad hæc alii, interpretationes suas à Spiritu sancto esse, ac proinde admittendas. Sed respondeo, me non credere illam loquendi formulam à Spiritu sancto esse, quæ non sit ipsius Scripturæ: Dum enim diversa loquendi formula homines utuntur, varias introducunt sectas, atque suas præconceptas opiniones citatione Scripturæ incrustant, ut ita facilè opinionibus suis divinam autoritatē concilient. *Hoc volo*. Non nego, diversas dicendi formulas in verè pio, humili & devoto Pastore cum s. Scriptura convenire, ac proinde rectè dictis s. Scripturæ confirmari posse: sed cùm verè

pius, humilis, & verè devotus pastor mentis humanæ oculis hos in mundo conspici & cognosci non possit. atque quælibet secta opiniones suas, etiam ex Sacris literis non relatas, Scripturæ S. verbis palliare ac sic alios in assensum pertrahere studeat, tutius esse arbitror, ut purum Dei verbũ legatur, doceatur, & audiatur. Sic enim quilibet certus esse potest, sibi erroneam alterius opinionem pro articulo fidei non obtrudi. Si homines in primitiva Ecclesia viam salutis & vitæ suæ regulam ex verbo Dei puto sub eo loquendi genere, quo scriptum est, sufficienter addiscere potuerũt. Dubio procul eadem vis convertendi homines ad veram pietatem & deducendi ad viam vitæ verbo Dei, ea formula, qua ab ipsis Prophetis & Apostolis prædicatum & scriptũ est, lecto & prædicato, in hunc usque diem inerit.

Non rejicio commentationes & meditationes aliorũ pias super S. Literis, nec conciones modestas, quæ pietatis exercitium urgent & controversias periculosas, non necessarias prætereunt: Hujusmodi .n. meditationes propter eos, qui S. Scripturam legere, fontesque ejus degustare nesciunt, necessariæ sunt. Rejicio tantum eas meditationes, quæ novos articulos fidei mundo obtrudũt, & ad eos Scripturam contorquent. Super fidei articulis tutius est ut cũ Scriptura loquamur, & sentiamus, quàm ut hominum depravationes sequamur. Verè Divinæ sophiæ studiosis modus hîc ex Scriptura divina discendi proponitur; non plebi indoctæ. Primum curanto studiosi, ut quid S. Literæ velint, sciant: deinceps quæ alii super iis cõmentati fuerint, legũto, ut hæc ex Scriptura, nõ ex hisce Scripturã judicẽt.

4. Ordine partem Scripturæ post partẽ legito.

Non tamen incidenter & indiscretim. Decet ergò hominẽ veræ pietatis studiosum, ut cùm sit Christia-

anus, atque N. Testamentum clariori & dilucidiori modo viam salutis æternæ doceat, ante V. Testamenti libros scripta N. Testamenti diligenter legat, atque ita legat, ut à Mattheo exordiatur, & post Mattheum cæteros Euangelistas & Apostolos, usque dum N. Testamentum totum lectione diligenti percurrerit.

5. Partem Scripturæ lectam sæpiùs repetito usque dum id quod in ea parte continetur, memoria sua firmiter verbotenus complectatur.

Sic enim fiet ut Scriptura magis magísq; dulcescat, etiam absentibus libris, res sacras meditemur, & DEO pro beneficiis suis indesinenter laudes in corde nostro canamus. Beati sunt qui audiunt verbum DEI & custodiunt. Luc. 11. v. 25.

6. Id quod in S. Scriptura sibi faciendum legit, studiosè peragere sibi proponito.

Nam quando DEI mandatum exequitur, Deum movet, ut absconditus S. Scripturæ thesaurus sibi paulatim magis magìsque patescat, & margaritæ in agro illo literario absconditæ sibi divinitus eruantur, & donentur.

7. Vetus Testamentum ex Novo illustrari scito.

Hoc enim vitæ regulam & salutis viam dilucidiùs & manifestiùs explicat.

8. Phrases Scripturæ in originali linguæ idiomate, si fieri potest, probè meditator.

Interdum enim fieri solet, ut interpretes, qui Sanctam linguam in alienam vertunt & transplantant, phrases alienarum linguarum retineant, & inde sensum biblicum quodammodo immutent. Æquum ergò & consultum videtur, ut pietatis studiosus ante omnia fontes biblicos, nimirum linguam Sanctam & Græcam addiscat, cùm Sacra biblia utriusque idiomate conscripta sint; sic enim sæpè ad sacrorum secretorum profundiorem cognitionem perveniet. Notari hic velim memorabile illud Syracidis dictum: *Qui animum suum eò applicuit, ut discat legem DEI, necesse est ut sapientiam antiquorum Scriptorum exquirat, & in lectione Prophetarum versetur.* Quin etiam facta & dicta hominum celebrium literis consignata diligenter observare, & quid sibi velint, expendere debet. Necesse est ut obscuriora, sed tamen piè dicta & parabolas sacras investiget, scrutetur, & verā sententiam inveniat. Eccles. c. 39. v. 1 & seqq.

9. Si consequentiæ, quæ ex litera phrasiū S. Scripturæ liquidò deducuntur, pietatis doctrinam alibi manifestò infringunt, à litera, viam Scripturâ præmonstrante, discedito, atque ex aliis Scripturæ locis literam eam mitiùs explicato.

Ideò ex aliis scripturæ locis, quia sensus non infertor scripturæ, sed ex ea refertor. Quare ut unum jam hujus rei exemplum afferam, à litera hujus phraseωs (*induravit Dominus cor Pharaonis* Exod. 9. v. 12.) sacrarum literarũ profundus lector, cùm ex ea facilè consequatur, DEUM esse autorē contumaciæ & perditionis in homine, discedito, & eam mitiùs explicato: siquidem scriptura aliis in locis peccatum & perditionem à DEO excludit, eique non tribuit, sed homini & Diabolo. *Dominus justus non faciet iniquitatem*: Sophon. 2. v. 6. *Nō* DEUS *volens iniquitatem tu es* Psal. 5. v. 5. Quomodo igitur illud dictum (*induravit* DOMINUS *cor Pharaonis*) sit intelligendum, patebit ei, qui 1. consideraverit, quòd Exod 8. v. 15. & 32. ipse Pharao cor suum ingravavisse legatur. 2. Quòd DEus permittat peccata: Act. 14. v. 16. 3 Quòd DEus peccatis limites præfigat, eaque ad illustrationem nominis sui & ædificationem Ecclesiæ interdum dirigat. Ideò induratum est cor Pharaonis, ut multiplicentur signa & ostenta DEI in terra Ægypti: Exod. 7. v. 9.

Quæ cùm ita sint, DEus indurasse cor Pharaonis dicitur, non quòd ipse indurationem istam in Pharaone excitarit, sed quòd ipsam permiserit, usque dum ex signis & miraculis patuerit, quòd ipse sit verus DEus & Dominus Israëlis.

CAP. IV.

CAP. IV.

De modo discendi aliquid ex Scriptura humana.

LOnge diversa est ratio discendi aliquid ex scriptis hominũ à ratione discendi ex scripto DEI verbo: Huic enim per se, quia DEI verbum est, humanæ verò scripturæ, quia in *Deo*, natura, & recta ratione fundatur, creditur. Diversitas tamẽ hujusmodi non tollit quandam in methodo cõvenientiam. Unde & hîc requiro 1. lectionem, 2. lectorum repetitionem, 3. meditationem, & 4. magnam diligentiam: Qui enim attentè non legerit, nec lecta hominum scripta audiverit, nec aliquoties magna cum diligentia repetiverit, ille vix percipiet, quid hominum scripta velint. Cùm verò hominum scripta duplici fine doceantur, vel ut omnes inde, qui legunt, proficiant, vel ut quidam tantùm, qui naturæ preciosis thesauris digni habentur, erudiantur, necesse erit ut scripta secretiorum sapientum attentiori cura discantur & tractentur, si quid utilitatis ad se inde redundare discens optaverit. Ad rem.

Qui aliquid ex Scriptura humana discere cupit,

1. Ante omnia linguam, qua id, quod sibi discendum proponit, scriptũ est, probè scito.

Id enim,

Id enim, quod in linguis docetur, intelligi non potest, nisi ipsæ linguæ sciantur, vocum, phrasiúmque in iisdem linguis proprietates observentur & considerentur. Qua verò lingua artes in Germania doceri debeant, ut faciliùs discantur, id in mea Didactica ξὺν Θεῷ suum perspicuè propositurus. Jam docuisse sufficiat, quòd discens eam linguam, in qua ars conscripta habetur, scire teneatur.

2. Potationibus, scortationibus, contentionibúsque ne indulgeto, nec negociis aliis mundanis se implicato.

Secus enim si viveret, malis affectibus suam vitam conspurcaret. Qui literis discendis incumbere debet, ait, Syrac. c. 38. v. 25. ocio ad hoc opus habet, & qui docendus est, ab aliis laboribus vacare debet.

3. Eam artem in manus sumito, ad quam quasi natura fertur.

Singulis & omnibus artibus aptus unus non nascitur. Unum hominem altero ad quandã artẽ esse propensiorem nemo nescit. Ad quam ergò artem quis proclivis est, eam discito. 1. quia cum voluptate eam artem aggreditur. 2. quia citiùs in ea profectus facit, quàm in alia arte, quam natura quasi respuit. 3. quia vix fieri potest, ut verum fundamentum

fundamentum in ea disciplina faciat, à qua abhorret. 4, quia, fundamento sic non benè posito, sibi alia fundamenta & principia fingit, quibus artem deformet & veritatem in sophismata tráspl antet. Vera igitur & rata esse videmus duo illa proverbia, ex quolibet ligno non fieri Mercuriũ: Non cuivis homini contingere adire Corinthũ.

5. Sub initium doctum ejus artis, quam discere cupit, compendium aliunde sibi cõparato.

Citiùs enim ea, quæ compendiosè proponuntur, percipiuntur, quàm quæ multis ambagibus involvuntur: Requiritur verò compendium doctum, id est, verè methodicũ, & nervosè scriptũ: Debitus enim ordo memoriæ inservit, & intellectum promovet, nervósaque scripta faciunt, ut studiosus profundè res in compendiis traditas meditetur.

. Compendium, in quo artis fundamenta ponit methodicè, attentè, & diligenter legendo, repetendo & meditando adeò sibi familiare reddito, ut vel paginam & lineam illam, in qua aliquod proponitur, memoriâ teneat.

Sic enim ubicunque locorum fuerit, faciliùs res in arte propositas meditabitur, in iis sapienti-

am cõtemplabitur, & cũ aliis ejusdẽ artis peritis cõmodiùs de scriptorum sensu conferre poterit.

6. Antequam unam artem absolverit, libros diversæ materiæ, imò librum ejusdem materiæ, ejusdémque autoris diversis typis & forma excusum ne legito.

Id est, Si quis familiarem sibi reddidit quendã libellum compendiosum, ne legito facilè sub initium studii alios libros diversæ materię, nec librũ alium ejusdẽ materiæ & autoris, qui typis & forma à priori libro diversus est, ut sic magis magisque localem quasi memoriam sibi comparet. Ipsa praxis facilè nostri dati theorematis & præcepti veritatem probabit: Quantum igitur fieri potest, studiosus, qui ex scriptis aliorum aliquid discere desiderat, semper librum uniusmodi editionis & formæ legito.

7. De præceptis artis ne dubitato.

Dubitatio enim hæc eò adducet studiosum, ut mentem scripti perfectè non sit percepturus.

Consectarium.

Controversias igitur, quæ circa artis præcepta à curiosis moventur, ne tractato, nec legito, priusquàm fundamenta artis benè posuerit.

id est, Curato, ut ante omnia rationum momenta, quibus artis præcepta firmentur, plenè imbibat & perfectè intelligat; Ea verò, quæ contra ipsa præcepta afferri possunt, non moveat, ne priusquam præcepta benè intellexerit, sinistrè de iis judicet.

8\. Compendio benè intellecto, alios deinceps libros ejusdem materiæ legito & cōferto, atque si quid novi in iis offenderit, prioribus cognitis superaddito.

Quod si fecerit, de die in diem in literis proficiet & excellenter doctus evadet.

9\. Nemo judicato de parte alicujus Scripturæ, nisi totam Scripturam multoties & attentè legerit, atque ex lectione illa multū profecerit.

Præmaturo enim judicio se impedit, ne Scripturæ sensum benè percipiat. Omnia scripta sine præjudicio legenda sunt. Habent quidā hoc moris, ut omnia alia, quæ non sunt ex ipsorum cerebro nata, vel fastidiant, vel rejiciant, sibi persuadentes, ex aliis autoribus suis Musis non posse fieri accessum, ac proinde obiter alios tractatus lectos refutent. Horum verò refutatio cùm ex præjudicio procedat, nullius est roboris & fundamēti, ac proinde planè non admittenda.

CAP. V.

De modo aliquid discendi ex Visionibus.

HActenus modum, quo aliquid ex voce & scriptura disci debeat, explicavimus: superest modus exponendus, quo aliquid ex simulacris cognosci posit & soleat. Cùm verò ex varietate simulacrorum modus ex iis aliquid cognoscendi variet, varietas simulacrorum benè vestiganda est, ut inde modorum diversitatem & rationem probè perspiciamus. Dico ergò, simulacra esse vel interna, vel externa. Interna sunt imagines in hominis animo repræsentatæ ad significandum aliud simile. Interna sunt vel artificialia, vel sine artificio. Artificialia simulacra sunt imagines excogitatæ ad juvandam hominis memoriã. Sed cùm modus ex hujusmodi simulacris fit valdè curiosus & laboriosus, intimamque rerum considerationem facilè impediat, non necessarium esse arbitror, ut hîc eum proponam. Memoriam diligẽti lectione, attenta auditione, multa repetitione & profunda meditatione cum judicii promotione juvari in propatulo est. Qui verò delectatur ex methodo nõ necessaria, legere poterit lib. 3. Cic. ad Hereñium & Joannis Magiri tractatum de memoria artificiosa. Nobis jam placeat ad simulacrorum internorum sine artificio existentium, ut sunt

ut sunt visiones nocturnæ, explicationem accedere: sed cùm hujusmodi simulacra sint vel divina vel humana (diabolicas visiones nō curamus) Modus discendi ex simulacris internis sine artificio existentibus, nempe ex imaginib. in somno visis ad significandum aliquid, duplex erit, ac proinde 1. de modo aliquid ex divinis, quæ in somnis apparent, visionibus, & deinceps 2. de modo aliquid ex humanis visionibus discendi agemus.

SECTIO I.

De modo aliquid ex visionibus divinis discendi.

Visiones divinæ negligendæ non sunt, sed altæ mente reponendæ, ut de die in diem eas meditemur & in iis erudiamur. Deus visiones nō frustra nobis exhibet. Nobis documento sunt visiones Jacobi, Josephi, Pharaonis, Prophetarum, Nabuchodonosoris & Divi Joannis. De verè divinis visionibus dico; non de iis, quæ speciem divinitatis præ se ferunt, & tamen non sunt divinæ. Has prætereundas & non curandas esse quis negabit? Ut verò cognoscas, quæ sint verè divinę visiones, ante omnia scito, 1 Omnia somnia, quæcunque contra Scriptum Dei verbum aliquid docent, esse fallacia & non divina. Ejusmodi plura Monasterienses Anabaptistæ habuerunt. De-

ctrinam novam extra & contra S. Scripturam q ex somniis fingunt, decipiuntur & alios decipiunt, 2. Visiones, quarum veræ interpretationi eventus non respondet, non esse divinas, & 3. te si DEO curæ es, Deúmque in vera fide invocaveris, facilè divinitus doceri, num somnia aliunde oblata sint verè divina.

Modus verò interpretandi Somnia divina, & ex iis aliquid discendi in hoc consistit, ut casta & pura mente ad DEUM accedas, ab eóque genuinam interpretationem Somniorum in vera fide, remota omni hæsitatione, impetres.

Sensum enim DEI nemo scit, nisi DEUS dederit sapientiam & miserit Spiritum S. suum de altissimis. Sap. 9. v. 17. Unde Daniel Prophetiæ suæ c. 2. v. 27. in hæc verba Regi Nabuchodonosori respondet: Mysterium, quod Rex interrogat, Sapientes, Magi, Arioli, & Aruspices Regi indicare nequeunt, sed est DEUS *in cœlo revelans mysteria*. Et Joseph Gen. 40. v. 8. ait interpretationem Somniorum DEI esse.

SECTIO II.

De modo discendi aliquid ex visionibus humanis.

Visiones

VISIOnes humanæ sunt Somnia è naturalibus Caussis in homine existentibus orta, & significant vel aliquid præsens, vel præteritum, vel futurum. 1. Ea Somnia, quæ ex affectione corporum, temperamento & humorum incursionibus nascuntur, concitationem hominis præsentem significant, ac proinde ii, quos Melancholia infestat, somniant tristia, ut funera, caliginē, tenebras: Qui flava bile redundant, cruenta, furorísque & incendii plena: Sanguinei jucunda & pulcherrima: Pituitosi ignava & aquosa, natationes, pluviam & id genus. Hinc medici admonent notanda & expendenda esse ægrotantium insomnia, ad eorum morbos dijudicandos & curandos, ex iis enim cùm de rebus aliis, tum inprimis de temperamento hominis non fallax haberi potest judicium. *Somnia*, quæ aliquid præteritum significant, ex cogitatione & imaginatione rerum, quibus per diem occupati fuimus, nobis plerumque objiciuntur. Sic avarus, qui per integrum diem argentum manibus suis tractavit, noctu somniat magnam argenti copiam, ambitiosus summos honores, Agricola agri culturam, &c. De hoc genere Somniorum hanc tibi cape regulam:

Qui ſapientiam veram ſectatur, per integrum diem rerum naturas ſobrius meditator, atque in profunda earundem rerũ nõdum plenè exploratarum meditatione indormito: tum mens operationibus ſenſuũ per ſomnum ſopitis, recolit ea quæ interdiu tractavit, atque tum liberè ita diſcurrit, ut vel ipſa omnem dubitationẽ deinceps diſcutiat, vel non rarò inde cum docto aliquo viro de gravibus rebus diſſerere atque ex eo de rerum ipſarum veritate certior reddi videatur.

3. Somnia naturalia, quæ futura præſignificãt, cùm ſint incerti eventus, atque ea, quæ prædicere videntur, ſæpiſſimè ab efficaciori cauſſa & fortioribus principiis impediantur, regulis certis non ſubjacent. De hiſce Somniis & de aliis, quæ ex imaginatione & cogitatione vanarum rerum originem ſuam trahunt, hoc Catonis diſtichon audito:

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat
Cùm vigilat ſperans, per ſomnum cernit id ipſum.

Cap. VI.

Cap. VI.

De modo aliquid ex Simulacris externis discendi.

MOdum discendi ex simulacris internis habuimus: Ex externis discendi modus patebit ei, q cōsideraverit, simulacra ejusmodi vel à Deo vel ab hominibus originem trahere. Si à Deo, ille à verè pio invocādus & rogādus est, ut doceat quid significent; sin ab hominibus, ex iis etiam eorum simulacrorum significationes addiscendæ sunt. Nosse propria nationum & Principum signa magno adjumento est.

Hic jam subsisterem, nisi generalem CENSURÆ doctrinam, útpote Gnosticæ affinem paucis verbis subjicere animus esset. Est autem CENSURA nihil aliud, quàm Ars vim benè ponderatorum argumentorum, quibus aliquid statuitur, Cognoscendi, ut hinc id, quod statuitur, vel approbetur, vel improbetur.

Qui benè judicare & censere cupit,

I. ante omnia linguam, in qua res censendæ proponuntur, probè scito.

2. Terminos rerum propositarum benè considerato, ut si ambiguos offenderit, distinguat, & veram significationem ad propositam materiam rectè applicet.

3. Omnia discendi præcepta accuratè sequitor, ut id quod censuræ subjiciendum est, benè intelligat.

4. Quicquid contra manifestam pietatem, Sacrosanctam Scripturam, naturam & rectam rationem asseritur, ut falsum rejicito.

Sacrosanctam ergò Scripturam, naturam & rectam rationem longo studio & exercitio sibi exploratam habeto.

5. In quo omnium sapientum monumenta, natura & recta ratio conspirant, illud verum esse arbitrator.

6. Omnes logomachias ut futiles & inanes repudiato.

7. Omnes Consequentias, quæ in Scripturis non existunt, sed ex iis rationis operâ deducuntur, si pietatem & concordiam tollunt, temerariè defendi judicato.

8. In terminis artium temporariis acumen ingenii ostēdentes à tempore refutatos esse putato.

9. Propositiones, quæ exceptionem & limitationem admittunt, non rectè universali enunciatione donari statuito.

Hæc sunt præcepta mea Critica & Censoria: Omnium verè sapientum, ubicunque locorum fuerint, judicium de his avidè expecto.

Appendix ad Lectorem benevolum.

Si qua disciplina est, benevole Lector, quæ reformatione indiget, ea medicina est: Adeò enim hodiè sophismatū & tricis conspurcata est, ut vix ejus genuinam faciem intueri liceat. Principia ficta pro veris studiosæ juventuti proponuntur: Vetulis, Agyrtis & Circumforaneis Philosophiam veram ignorantibus praxis medica permittitur: Eventus ad methodum præscriptam sequens nullius est certitudinis, ita ut is jam potiùs fortunæ, quàm certæ rerū medicarum cognitioni, legitimaq; remediorum administrationi tribuatur: Multa plurimis desunt, nimirum pietatis studium, legitima vocatio, vera morborum & remediorum cognitio; naturæ universæ favor. Adsunt & plura, quæ abesse debebant: nempe eruditionis perfectæ persuasio, avaritia, ambitio, invidia, contemptus sociorum, &c. Quæ cùm ita sint, de medicinæ hodiernæ reformatione & vera introductione apud me multum cogitavi: verùm me solum esse reformationi hujusmodi insufficientē benè agnoscens eòusq; propositi mei executionem differre cogor, donec Deus, *qui est omnis sapientiæ dator & omnium disciplinarum summus reformator, mihi doctos, pios, non superbos nec scientiâ inflatos viros obtulerit, quorum conjuncta opera id laboris aggredi possim. Interim studiosum lectorem non celabo, quòd ad veræ medicinæ illustrationem quinq; tractatus* ξὺν θεῷ *proximo tēpore scripturus sim, nimirum*

Aphorismos reformatorios, qui ultra triginta defectus & impedimenta medicinæ addiscendæ & administrandæ cũ remediis subjectis explicabũt.

Hygieiologiam, quæ fontem duplicem sanitatis enarrabit, *Externum*, Custodiam DEI; *Internum*, balsami innati debitum statum, qui 1, in heterogeneorum legitima separatione & exclusione, ac deinceps in heterogeneorum, quæ saparari & excerni non potuerunt, oppressione (ne, etsi intra corpus lateant, sanitati seditionis motione obesse possint) consistit.

Nosologiam, quæ 1. Morbos cum Caussis in genere. 2. Morborum differentias veras, etiam eas, quæ hactenus partim studio, partim simplici Medicorum vulgarium ignorantiâ intactæ manserunt, & 3. Modum cognoscendi morbos in specie revelabit.

Pharmacologiam, quæ 1. Philosophiã fidei: 2. Remediorum naturalium cognitionem exactam. 3. debitam eorum præparationem, & 4. Mutationem virium in remediis, quæ est ex temporis & loci varietate, atq; ex præparatione eorum, perspicuè docebit.

Medicinam ipsam, cujus tabulam paucis verbis adumbratam jam tibi exhibeo.

Medicina est ars auxiliandi naturæ hominis, ut functiones sanitatem concernentes benè peragantur. Huc faciunt hæc præcepta,

Qui vult benè mederi, 1. Divinitus ad medicinam vocatus esto. 2. Pius esto, & DEUM præsentē sibi habeto. 3. Opere potius quam sermone excellito. 4. Fontem sanitatis utrumque benè intelligito. 5. Naturam morbidam benè cognoscito. 6. Pharmacorum naturam exploratam habeto. 7. Remediorum, quæ cruda adhiberi non debent, præparationē ipse scito, & si nesciverit, discito. 8. Mutationē viriū in remediis benè teneto.

Medicina *est vel ὑγιεινὴ, conservatrix sanitatis, vel θεραπευτικὴ, sanitatis reparatrix.*

Hygieina est ars statuendi sanitatem.

Qui vult statuere sanitatem suam, 1. videto, ut angelos DEI custodes corporis sui habeat, ac proinde ad voluntatem DEI in verbo ipsius præscriptam vivito. 2. Sibi aërem purum & clarum, nullis stagnorum, cadaverum, & cloacarum expirationibus conspurcatum, sed ab omni & qualitatum & substantiarum vitio alienum, qui ventis salubribus perfletur, eligito. 3. In aëre moderatè calido & modicè frigido degito. 4. Cibū potúmque temperatum, humanæ naturæ convenientissimum deligito. 5. Nec avidè cibum rapito, nec ingurgitato potum. 6 Simplicem cibum assumito, ac proinde varia cibi & potus genera una vice sibi ne ingerito. 7. Insuetum cibum, potúmq; ne sibi subitò familiarem reddito, nisi à perito medico &

dico & Philosopho sanitatis suæ conservandæ ... gò ipsi imperetur. 8. Esuriens cibum ingerito, & alternatim bibito. 9. Exerceto se tempestivè. 10. in cibo & potu, in motu & quiete, in somno & vigilia & in affectibus animi modū adhibeto. 11. Medicamento verè renovante circa ver & autumnū utitor. 12. Antidoto contra venena se p̄muoito.

Θεραπευτικὴ est ars restituendi sanitatem.

In θεραπευτικῇ tria media sunt in usu: Verbum fidei, verbum naturę, quod est naturale remediū, & manus: à qua Chirurgia est.

Θεραπευτικὴ est vel primaria, vel secundaria.

Primaria est ars corroborandi naturam, ut inde pellantur morbi, & sic restituatur sanitas.

Qui vult corroborando naturam morbos pellere, 1. Confortativa remedia sibi comparato: nimirum lapidem Philosophorum, & alia particularia confortativa, ut sunt aurum & argentum potabilia, essentiæque aliæ Philosophorum menstruo elicitæ. 2. Qui lapide Philosophorum curare intendit, propinato ægro unū ejus laticis granum in pauca vini quantitate, & æger restituetur credens. 3. Qui particularia confortativa administrare sibi proponit, ea in debita dosi ægris, mediātib. vehiculis morbo affecto ap̄ppriatis, exhibeto. Si ita medicus naturam corroborabit, natura cōfortata morbos extirpabit & cōvalescet æger.

Secundaria

Secundaria est ars pellendi morbos, ut inde corroboretur natura, & sic restituatur sanitas.

Methodus hæc curandi dicitur quibusdam ἀφαιρετικὴ, quemadmodũ Primaria προσθετικὴ. Hic indicationes locum habent, quæ tamen in Primaria medicina prætereuntur.

Præcepta Secundaria medicinæ concernunt vel medicum, vel ægrum.

Præcepta q̃ ad medicũ attinent, hæc sunt.

1. Restitutionem membrorum ne aggreditor in iis corporibus, quibus vel unum ex principalibus membris deest, vel organum totaliter vi revulsum est 2. Morbos, quorũ causſæ sunt supranaturales, naturalibus remediis pellere ne conator.

Præcepta ægrum cõcernentia hæc sunt:

1. Æger agnoscito, se peccatis iram DEI promeritum fuisse, atque ex ipsius permissu morbo affici. 2. Pœnitentia vera Deum sibi reconciliato, ac deinceps invocato, ut auxilietur. 3. Reconciliato & invocato DEO, verum medicum admittito, & de recuperatione sanitatis, assumto remedio, ne dubitato 4. Medici verbis fidem adhibeto constantem. 5. Nec suo nec alterius præterquàm medici consilio utitor. 6. Medicamenta eo modo, quo à medico præscripta sunt, assumito.

Medicina

Medicina secundaria est vel Christiana, vel profana.

Medicina Christiana est ars pellẽdi morbos verbo fidei.

Praxin hujus artis in N. Testamento abundè intueri poteris.

Medicina profana est ars pellendi morbos specificis remediis.

Hîc à me morborum cura in specie docenda atque Chymicorum, Galenicorúmque medicamentorum verus usus demonstrandus esset, nisi adumbrare voluissem potiùs medicinam, quàm perfectè tractare. In aliud ergò tempus hũc laborem mihi reservabo, atque medicinæ studiosum DEO volente, nihil celabo, quod ipsi & Reipublicæ humanæ bono futurum arbitror. DEUS ille, qui universi hujus theatri factor & gubernator est, regat meos & omnium ex intimo corde petentium conatus, ut nihil contra ipsius Majestatẽ exinde peccetur, sed omnes actus in divini ipsius nominis gloriam & in humani generis utilitatem cedãt per JESUM Christum Dominum & DEUM nostrum, Amen.

SOLI DEO GLORIA.